

cognoscit, sed hæc propter mentis tedium digna invectione non corripit.

Ervere quasi dammula de manu, & quasi avis de laqueo. Quantum avis de laqueo, vel dammula de manu captantis, querit evadere: tantum nitere, ut auditore tuo salubriter instituto, ipse à sponione vitæ ejus liber reddaris. Vel certe quia dammula mundum natura est animal, velox cursu, visûque acerrimum. Unde & Græcè *ὄρνις ἰσχυρὴ*, id est, à videndo, dorcas nuncupatur. Avis autem volando alta petere consuevit. Cùm in docendis occuparis subditis, mundus à peccatis omnibus, & strenuus in operibus bonis, perspicax in deprehendis malorum insidiis, & virtutum penitus fultus esse fatage: quatenus expleto prædicandi negotio, & ad supetna transvolare, & cœlestis vitæ pascua meritis intrare.

Vade ad formicam ò piger, & considera vias ejus: & discite sapientiam. Hinc vacantem hortatur quemque, ut si ad alios erudiendos non sufficit, saltem suimet curam agere non negligat. Et si sapientiam docendi nequit ab homine discere: vel operandi sapientiam discat à formica. Formica dicitur strenuus quisque & providus operarius, qui in præfenti vita velut in æstate, fructus justitiæ quos in æternum recipiat sibi recondit.

Qua cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat astate cibum sibi, & congregat messe quod comedat. Si tantillum animal, principe carens, & rationis expertus, natura duce sibi providet in posterum: multo magis tu ad imaginem Dei conditus, ad videndam ejus gloriam vocatus, doctorum magisterio adjutus, ipsum conditorem habens ducem, debes in præfenti bonorum operum fructus congregare, quibus in æternum vivas in futuro. Hæc enim vita in eo messi comparatur & æstati: quod nunc inter ardores tentationum tempus est colligendi futurorum merita præmiorum. At dies judicii hyemis similitur rigoribus, quia tunc nimirum nulla relinquatur facultas pro vita laborandi, sed tantum cogitur quisque de horreo præfite actionis, quod recondidit, proferre. Unde & Dominus præcipit dicens: *Orate autem ut non fiat fuga vestra in hyeme, vel sabbato.* Hyeme enim facultas, sabbato licentia, juxta legem, deest fructus vitæ colligendi, ac penuriam suæ giendi perpetuam.

Usquequo piger dormis? quando confurges à somno tuo? paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conferes manus ut dormias. Usquequo, inquit, dormis in vitiis: quando potes resurgere ad bene operandum, qui noxio torpore depressus semper dicis, paululum adhuc jacebo, & sic postea penitendo resurgam. Fit namque ut te semper differente opus bonum, repente judex qui mala tua facta puniat adfit. Hoc est enim quod sequitur.

Et veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus. Egestas namque & pauperies poena est ultima, in qua damnati nil divitiarum merentur: quæ quasi viator veniet, quia improvisa & subitanea: quasi vir armatus, quia devine perpetuo non potest. Patet juxta literam, quia pigritia nutrit egestatis & penuriam.

Si vero impiger fueris, venit ut fons messis tua. Fructus terreni quos metimus, non fonti comparantur sed cisterna, quia ad tempus pascunt colligentem, & in tempore deficiunt. At qui impiger fuerit pro cœlestibus laborare divitiis: hujus messis ut fons adveniet, quia mercedem laborum indeficientem percipiet.

Et egestas longè fugiet à te. Quia satiabor, inquit Psalmita, dum manifestabitur gloria tua.

Homo apostata vir inutilis: gradietur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, & omni tempore jurgia seminatur. Huic exemplum veniet perditio sua, & subito conteretur, nec habebit subitò medicinam. Dixerat de hæresibus & aliis vitiis generibus, instituerat præceptorem, excitaverat pigrum, at nunc redarguit & schismaticum. Ubi notandum, quia quem seminantem jurgia dicere voluit, prius apostatam nominavit: quia nisi more superbiens angeli à conspectu conditoris prius intus averse mentis caderet, foras postmodum ulque ad seminanda jurgia non veniret. Qui rectè dicitur quod annuit oculis, terit pede, digito loquitur. Interior namque est custodia quæ ordinata servat exterius membra. Quia ergo statum mentis perdidit, foras in inconstantiam motionis fluit: atque exteriori mobilitate indicat,

quod nulla radice interius subsistat.

Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus. Eundem quem supra plenius quam sit Deo odibilis discordiam seminando insinuat. Quod autem animam habere Deum dicit: humano more facit, ut eum plena intentione, & non leviter tales odisse significet. Tale est in Isaiâ: *Calendas vestras & solennitates vestras odivit anima mea.*

Oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendaciam, testem fallacem, & eum qui seminat inter fratres discordias. Enumerat sex capitalia crimina: quæ tamen comparatione discordiam seminantis quasi minora deponit: quia nimirum majus est facinus illud quo unitas & fraternitas, quæ per Spiritum sancti gratiam est connexa, dissipatur. Potest enim quilibet oculos jactanter extollere, lingua mentiri, homicidio pollui, mala proximo machinari, aliis sceleribus membra subdere, falsum contra quempiam testimonium proferre: quod non idem esse putandum est quod supra linguam mendacem nominat. Potest enim mendacium, sed non contra proximum dici. Nam & beatus Augustinus odo esse genera mendacii in libro quem de mendacio composuit docet. Potest, inquam, perditus quisque hujusmodi mala, vel sibi metipsum vel aliis inferre, pace servata Ecclesiæ. At Donatus & Arius eorumque sequaces gravius est quod fecerunt: qui concordiam fraternæ unitatis, discordias seminando, sciderunt.

Conserva fili mi præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ. Nunc sub adulteræ mulieris specie prohibet ab auditione hæresicos.

Liga ea in corde tuo jugiter, & circumda gutturi tuo. Et in cogitatione præcepta Dei fixa retine, & loquelam tuam horum undique dulcedine, ne fortè lingua labaris, communito.

Cum ambulaveris gradiantur tecum, cum dormieris custodiant te, & evigilans loquere cum eis. Quia mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ increpatio discipline, ut custodiant te à muliere mala, & à blanda lingua extranea. Non concupiscat pulchritudinem ejus cor tuum. Tanta sit tibi meditatio divinæ legis, ut cùm vigilans aliquid operaris: hanc sedula mente recolas: cùm dormire velis, in hujus memoria quiescas: cùm evigilaveris, hanc primò ad mentem revoces. Sic etenim fiet ut nec vigilans offendas, nec à timore nocturno ledaris. Aliter: Cùm ambulaveris in profectu justitiæ: gradiantur tecum mandata Dei ut te infrauant. Cùm dormieris in morte: custodiant animam tuam ne rapiat hostis. Cùm evigilaveris in resurrectione: loquere cum eis expectando præmia quæ tibi, si ea servaveris, promissa erant.

Ne capiaris nutibus illius. Patet de adultera. Sed & hæretici si bene vivere, & aptè se agere videntur: vide ne seducaris eorum doctrinis.

Precium enim scorti vix unius panis est. Mulier autem viri pretiosam animam capit. Recordare quia brevis voluptas est fornicationis, & perpetua poena fornicatoris. Sicut enim unus panis diurnam solum effugit esuriam, & nihilominus postmodum esurit, qui comesto pane satur abscesserat: sic qui intrat ad scortum, ad horam quidem evaporat libidinem, sed post paululum ardentior redit.

Nunquid abscondere potest homo ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant: aut ambulare super prunas ut non plantæ comburantur ejus? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus cum tetigerit eam. Soli ei conceditur hæreticorum libros legere, qui adeo solidatus est in fide Catholica, ut verborum dulcedine, vel astutia nequeat ab ea segregari.

Non grandis est culpa cùm quis furatus fuerit: furatur enim ut esurientem impleat animam: deprehensus quoque reddet septuplum, & omnem substantiam domus sue tradet, & liberabit se. Qui autem adulter est, propter cordis inopiam, perdet animam suam. Turpitudinem & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur. Furtum non ex sua estimatione, sed ex comparatione peccati majoris, id est, adulterii, non grandis esse culpæ perhibetur: sicut Jerulem gravius peccanti dicitur: Justificata est Sodoma ex te, non quia Sodoma nulla, vel pauca, sed quia Jerusalem plura peccavit.

Quia scelus & furor viri non parcat in die vindictæ: nec acquiescet ejusquam precibus: nec suscipiet pro redemptione dona plurima. Et de Domino intelligendum: quia qui nunc parcat reprobis, non parcat in die mortis: nec acquiescet precibus serò clamantium ad se: nec dona quorum non est ibi tempus, vel facultas, suscipiet. Zelatur enim si quis sponsam suam, id est, Ecclesiam sive animam quamque fidelem, corrumpere præsumit.

Caput VII.

FILI mi custodi sermones meos, & præcepta meæ recordare tibi. Fili honora Dominum & valebis: præter eum vero ne timeris alienum. Serva mandata mea, & ab aliena hæc sermo eadem quæ superior sub meretricis persona plenius explicat.

Et legem meam quasi pupillam oculi tui. Tam sollicitè serva quæ docco, quasi nil rectè sine his aspicere vales.

Liga eam in digitis tuis, scribe illam in tabulis cordis tui. In digitis, in actibus dicit: in tabulis cordis, in latitudine cogitationis. Denique & alia translatio sic dicit: Describe eam in latitudine cordis tui.

Dic sapientia, soror mea es: & prudentiam voca amicum tuam, ut custodiat te à muliere extranea, & ab aliena quæ verba sua dulcia facit. Sapientiam Ecclesiasticam doctrinam, sororia tibi dilectione conjunge, ut hæc te à pollutione servet hæretica: quæ à castitate Ecclesiæ probatur extranea.

De fenestra enim domus mea per cancellos prospexi, & vides parvulos. Aptè autem Salomon de fenestra domus suæ per cancellos prospexisse dicit, ut parvulorum gesta didicisset. Qui enim de fenestra per cancellos prospicit, ipse quidem ea quæ foris aguntur plenè considerare sufficit, nec tamen ipsum qui foris infra degunt aspiciunt. Namque hoc est quod Apostolus ait: Spirituales enim judicat omnia: ipse autem à fenestra judicatur. De fenestra enim domus meæ per cancellos prospexi, & video parvulos. Patet juxta literam: quia sapientium aspectus magistrorum, & infirmorum actus sedulo scrutatur, & fortium. Aterna Dei sapientia de cælo prospexit, & videt omnes filios hominum.

Considero vecordem juvenem qui transiit per plateas juxta angulum. Juvenem vocat adulterum, non propter virtutem, sed propter instabilitatem. Qui transit in platea: quia deseruit angulum quem quæ ducit ad vitam. Juxta angulum, quia defecit à rectitudine.

Et prope viam domus illius graditur. Quia à via veritatis declinavit, merito viæ domus meretricis vel hæretici appropriat, quæ rectè juxta quod exposuimus, & in platea, & juxta angulum posita est.

In obscuro advesperascente die, in noctis tenebris & caligine. Quia jam talis per cæcitatem cordis ad tenebras festinat peccati & damnationis.

Et ecce mulier occurrit illi ornata meretricio: præparata ad capiendas animas. Patet hæc cuncta juxta literam de meretricis operibus. Verum doctrina hæreticorum quemcumque incautum reperit & vecordem, hunc decipere tentat: ipsa etenim ornata apparere meretricio, quia immun-da præfulget eloquentia. Præparata est ad capiendas animas: quia quoscumque sibi sociare potest, & spiritali morte perimit.

Garrula & vaga, quietis impatiens. Quietem Ecclesiæ turbare desiderans.

Nec valens in domo consistere pedibus suis. Nulla est hæresis quæ primis sit contenta discipulis: hi sunt enim domus ejus, sed semper novos quos decipiat querit.

Nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians. Foris, cùm paganos rapit: in plateis, cùm voluptuosos: juxta angulos, cùm alios hæreticos.

Apprehensumque desolatur juvenem. Verborum fallentium blandimentis tentat instabilem.

Et procaci vultu blanditur dicens: vultimas pro salute devovi: hodie reddidi vota mea. Idcirco egressa sum in occursum tuum desiderans te videre, & reperi. Juxta literam patet intellectus quia meretrix convivium se permagnificum præparat fatetur: at hæretici in tuncis quæ agunt, victimam se salutis Deo immolare, vel autumant, vel autumate gestiunt. Nam & Dominus ad discipulos: Sed venit,

inquit, hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo.

Intexui funibus lectum meum, stravi tapetibus pictis ex Ægypto. Solent lecti qui ex funibus, vel juxta aliam translationem, intexuntur, molliores fieri quàm qui ex ligno, vel corio, vel qualibet alia materia substruuntur. In lecto ergo funibus intexto, meretrix molliorem quietem designat. In tapetibus verò pictis ex Ægypto, etiam oculorum tentat illecebras: quibus nefando aspectu irretitis, facilis ad seducenda mentis arcana penetret. Quia verò nomine funium aliquando solent divina præcepta figurari, quæ à nostris nos voluptatibus coerendo religant: promittunt se hæretici contextu verborum cœlestium salubre suis auditoribus quasi stratum parare, in quo à vitiis tumultibus libero corde quiescant: sed veraciter illis funibus peccatorum construunt locum perditionis, ubi perpetuo pedes manique alligati damnantur. De quo Dominus in Apocalypsi: Et dedi, inquit, illi tempus ut penitentiam ageret, & non vult penitere à fornicatione sua: ecce mitto eam in lectum, & qui mœchantur cum ea in tribulationem maximam. In tapetibus verò pictis ex Ægypto, ornatus eloquentiæ, & dialecticæ artis versutia, quæ ab ethnicis originem sumpsit, intelligitur: per quam mens hæretica sensum doctrinæ pestilentis quali meretrix thorum facinoris se texuisse gloriatur.

Aspersi cubile meum myrrha, aloë, cinnamomo. Promittunt se tales odorem cœlestium habere virtutum: quibus sua suorumque corda velut funibus cubilia venusta conscrent, sanctificent, perficiant, ac dicere possent cum Apostolo: Quia Christi bonus odor sumus Deo.

Veni, inebriemur uberibus, & fruamur cupiris amplexibus, donec illesceat dies. Doctrinæ sanctæ poculis se invicem satians jactant hæretici, & virtutum gratia conjungendos: donec eorum gesta lux sequatur æterna.

Non est enim vir in domo sua: abijt via longissima. Non est, inquit, Christus corporaliter in Ecclesiæ: surgens enim à mortuis ascendit in cœlum, nobisque ministerium gubernandæ Ecclesiæ, suam videlicet domum reliquit.

Sacculum pecunie tulit secum. Gloriam resurrectionis & immortalitatis Deus secum deculit, quo illius patriæ civis lætificaret ac ditaret.

In die plenæ lune reversurus est in domum suam: irretivit enim multis sermonibus, & blanditiis laborum protraxit illum. In tempore enim quo electorum suorum Ecclesiæ numerum compleverit, revertetur ad judicium.

Stanim eam sequitur quasi bos ductus ad viciniam, & quasi agnus lasciviosus & ignorans quod ad vincula stultus trahatur: donec transfingat sagitta securus ejus: velut si avis festinet ad laqueum, & nescit quod de periculo anima illius agitur. Nunc ergo fili audi me & attende verba oris mei, ne abstrahatur in viis illius mens tua: neque decipiaris semitis ejus. Multos enim vulneratos deiecit. Id est, quasi stultus nesciens ipse ductus ad interitum.

Et fortissimi quique interfecit sunt ab ea. Ut ipse Salomon sapientissimus virorum, ut David fortissimus, ut David manufactissimus à muliebri decipula, ut Origenes ab hæretica, quem post Apostolos Ecclesiæ magistrum fuisse quamdiu rectè sapuit qui negaverit errat.

Via inferi domus ejus, penetrantes interiora mortis. Sed de Ecclesiæ Dominus ait: Quia portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Interiora autem mortis, acerrima gehennæ tormenta, quasi arctiora & obscuriora dicit, quibus hæreticos & fornicarios constat esse mergendos, sicut de sanctis pro Domino in hac vita patientibus adversa dicitur: Quia misit eos custos in interiorum carcerem: atrociorum videlicet, & fœdiorum & obscuriorum.

Caput VIII.

NUNQUID non sapientia clamitat: & prudentia dat vocem suam? Nunquid non Dominus palam locutus est mundo, & in occulto locutus est nihil? Quid ergo ejus neglecto Evangelio, ad hæresim potius vel lasciviam quæ in angulo susurrant audiendum, miser consiliunt?

In summis excelsisque verticibus super viam in medijs semitis stans, juxta portas civitatis. In monte discipulos simul & turbas docuit: sed & per vias sæpe his qui conveniebant prædicabat, & eos qui cura indigebant, sanabat. In ipsa etiam porta civitatis Naim mortuum resuscitans:

exemplo miraculi verba quae edocuerat commendabat. Ut quid sequimini eos qui in abditis contra eum suas exerunt linguas?

In ipsis foribus loquitur dicens: O viri ad vos clamato, & vox mea ad filios hominum. Ad viros clamato, id est, ad strenuos verbi auditores in utroque sexu. Nam qui feminea, id est, fluxa mente sunt: sapientiae verba percipere nequeunt.

Intelligite parvuli astutiam, & insipientes animadvertite. Manifestum est de Domino, quia & cum esset ipse in mundo, omni aetati, sexui, conditioni locutus est verbum, imò etiam clamabat stans in templo: Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Et nunc per doctores Ecclesiae: ipsi enim sunt fores civitatis ejus: viris simul ac feminis, sapientibus & insipientibus, grandævus praedicat & parvulis. At contra doctrina fallax clam & privativam, quos seducere valeat quaerit.

Audite quoniam de rebus magnis locutura sum. Magnis nempe: quia regnum caelorum & promissit, & dedit: fidemque sanctae Trinitatis docuit: atque alia innumera quae Prophetarum loquenda relinquebant.

Et aperientur labia mea ut recta praedicent. Veritatem meditabitur guttur meum, & labia mea detestabuntur impium. Justi sunt omnes sermones mei: non est in eis pravum quid, neque perversum. Recti sunt intelligentibus, & equi irruentibus scientiam. Labia ejus sunt duo testamenta concordant ad invicem veritatis attestazione conjuncta, quae ipsa in carne apparente, per sancti Spiritus donum sunt ad praedicandum salutem, universum aperta per orbem.

Accipite disciplinam meam, & non pecuniam: doctrinam magis quam aurum eligite. Melior est enim sapientia cunctis opibus pretiosissimis, & omne desiderabile ei non potest comparari. Non potestis Deo servire & mammonae.

Ego sapientia habito in consilio: & eruditus intersum cogitationibus. Timor Domini odit malum. Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo: ibi sum ego in medio eorum.

Arrogantiam & superbiam, & viam pravam, & os bilingue detestor. Arrogantiam & superbiam in eis qui se ceteris meliores aestimant. Viam pravam in eis qui aperte mala faciunt. Os bilingue in illis qui in bonis quae loquuntur, stabile quippiam non habent, sed juxta auditorum libitum sua verba commutant.

Mentis est consilium & aequitas: mea est prudentia: mea est fortitudo. Non se extollat humana praesumptio: plenitudinem virtutum sola Dei sapientia possidet: ab hac humana infirmitas quicquid virtutis habet accipit.

Per me reges regnant, & conditores legum justa decernunt. Per me principes imperant: & potentes decernunt justitiam. Reges dicit Apostolos, sive alios sanctos: qui & seipsum primum, & deinde Ecclesiam sibi subditam bene regere sciunt. Legum conditores, auctores utriusque testamenti, & sequentes Ecclesiae scriptores. Principes & potentes, ceteros fidelium praecipuos ac rectores appellat, qui utique omnes non nisi per sapientiam ut essent aliquid habent. Ait enim: quia sine me nihil potestis facere.

Ego diligentes me deligo, & qui mane vigilaverint ad me, invenient me. Tale est in Evangelio: Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum: & manifestabo ei meipsum. Mane quippe vigilat ad sapientiam, qui semper innovato mentis studio ad Christi visionem pertinere satagunt.

Mecum sunt divitiae & gloria: opes superbae & justitia. Melior est fructus meus auro & lapide pretioso: & gemina mea argento electo. In viis justitiae ambulo, in medio semitaram judicii, ut ditem diligentes me: thesauros eorum repleam. Opes superbas, opes excelsas, dicit, ut caelestia dona significet. Graecè enim superbus *υπερηφανος*, id est, superapparens dicitur. Et ideo recte sapientia opes hyperiphanos secum esse dicit: quia quicquid donorum caelitus fidelibus datur, cunctis mundi opibus excellentius esse probatur: quod etiam addendo justitiam manifestius inculcat, nam terrenas opes, & gloriam sapientius habent injusti. Nos autem in resurrectione, sicut Petrus ait: novos caelos & novam terram, & promissa ipsius expectamus, in quibus justitia habitat.

Dominus possedit me in initio viarum suarum: Vox Christi, qui vera est Dei Patris sapientia, quae ante omnem mundi creaturam ineffabiliter ex patre genita, quia ipse cunctam caeli terraeque materiam potentialiter creavit, atque mirabili-

ter disposuit. Viae Domini sunt opera ejus: quorum consideratione ad fidem vel agnitionem pervenit genus humanum. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur. Viae ejus sunt ipse illuminationes, per quas se & angelicis spiritibus & mentibus ostendit humanis: in quartum initio viarum sapientiam possedit: quia in primordio creaturae nascens, filium qui cum eo cuncta displiceret habuit. Sed ne putaret aliquis harum initio viarum vel aliquando ante tempora filium esse coepisse, vigilantem adjunxit.

Antequam quicquam fieret a principio. Ab aeterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant: necdum montes gravi mole consisterant. Ante colles ego parturiebar: adhuc terram non fecerat & flumina & cardines orbis terra. Quando preparabat caelos aedam: quando certa lege & gyro vallabat abyssi. Quando aethera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum. Quando circumdabat mari terminum suum: & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos. Quando appendebat fundamenta terre, cum eo eram cuncta componens. Cui simile est in Evangelio, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: Omnia per ipsum facta sunt. Percant ergo qui negant Dei virtutem & Dei sapientiam, videlicet Christum ab initio, imò & ante omne quod dici vel cogitari potest initium ab ipso Patre fuisse progenitum. Alia translatio hunc locum ita concipit: Dominus creavit me, principium viarum suarum in opera sua. Quod de incarnatione dominica dictum patres intelligunt dicentes, quia certi gratia mysterii dixerit: Dominus creavit me, & non pater creavit me. Et caro, inquit, Dominum agnoscat: gloria, patrem signat: creatura, Dominum constituit: caritas, patrem novit. Principium vel in principio viarum suarum, & ipse ait: Ego sum via, quia surgens a mortuis iter fecit Ecclesiae suae ad regnum Dei, ad vitam aeternam. In opera sua, quia ad redimenda opera patris ex virgine creatus est, suscipiens carnem, ut opera patris a corruptibili servitio liberaret: caro enim Christi propter opera: divinitas ante opera.

Et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore: ludens in orbe terrarum: & deliciae meae esse cum filiis hominum. Nunc ergo filii audite me: Beati qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam & estote sapientes, & nolite abjicere eam. Ludentem dicit gaudentem. Erat ergo ludens coram patre per singulos dies, quia ut Propheta ait, A principio ex diebus aeternitatis gaudebat unum esse cum patre. Erat omni tempore ludens in orbe terrarum, quia & cum tempora orbis ac creaturae esse coepissent, ipse quod erat in patre filius manebat. Haec ideo, ne quis cum creaturis & temporibus coepisse perhiberet. Et deliciae ejus sunt esse cum filiis hominum, quia desiderat in nostro amore quietere, nosque bonorum gratia meritorum ad se videndum perducere.

Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem a Domino. Qui autem in me peccaverit, ledet animam suam: omnes qui me oderunt, diligunt mortem. Fores suas & postes ostii sui, scripturas sanctas & eorum doctores nuncupat, sine quibus ad vitam quam pollicetur non valemus ingredi.

Caput IX.

SAPIENTIA aedificavit sibi domum. Quia de aeternitate divinitatis Christi sufficienter dixerat, addidit & de assumpta humanitate dicere. Sapientia aedificavit sibi domum, quia hominem Filium Dei quem in unitatem suae personae susciperet, ipse creavit.

Excidit columnas septem. Ecclesias per orbem septiformi gratia spiritus crexit, quae domum Dei, id est, mysterium incarnationis ejus, ne perfidorum improbitate memoria tolleretur, credendo, colendo & praedicando quasi sustentando continerent. Vel certe sapientiae domus, Ecclesia Christi est, ex lapidibus vivis, hoc est, sanctis in tabernaculum sibi constructa. Columnae autem doctores sanctae Ecclesiae, septiformi spiritu pleni: quales fuisse Jacobus, Cephas, & Joannes: quas nimirum columnas sapientia excidit: quia ab amore praesentis saeculi disjunctas, ad portandam ejusdem Ecclesiae fa-

bricam mentes praedicantium erexit.

Immolavit victimas suas. Suis passionibus Ecclesiam consecravit: vel vitam praedicantium mactari in persecutione permisit: quibus videlicet victimis contrariae sunt victimae meretricis: ad quas stultos invitat, ut supra lectum est, dicens: Victimam pro salute devovi, hodie reddidi vota mea.

Misit vinum, & proposuit mensam suam. Divinitatis suae arcana capere non valentibus, assumptae humanitatis sacramenta patefecit, & Scripturae sacrae pabulum nobis aperiendo preparavit.

Misit ancillas suas ut vocarent ad arcem & ad mania civitatis: Praedicatores infirmos ac despicibiles elegit, qui fideles populos ad superna patriae caelestis aedificia colligerent.

Si quis est parvulus veniat ad me, & insipientibus locata est: Parvulos dicit humiles: insipientes vero eos qui de mundanae sapientiae fastu nil habent. Tales autem vocat, ut eos sua doctrina sapientes reddat & altos.

Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod misit vobis. In pane, divina eloquia: in vino mixto, conjuncta in unam Christi personam deitatis & humanitatis ejus natura exprimitur, ut supra dictum est. Vel certe in pane, corporis ipsius: in vino mixto sanguinis sacro-sancti mysterium, quo in altari, mensa videlicet ejus, satiamur, ostenditur.

Relinquitte infantiam & vivite, & ambulat per vias prudentiae. Post ablatas epulas, addit & vitae monita, ut quos praecipit suae incarnationis mysterii refecit: doctrinae pariter instruat verbis.

Qui erudit derisorem, ipse sibi facit injuriam: & qui arguit impium, generat maculam sibi. Quali interrogare cur sapientia parvulos praeter ceteris, & insipientes ad suas invitaret epulas. Ideo, inquit, feci: quia frustra laborat qui verbum sapientiae inculcare nititur ei qui audire contemnit: sapienterem se doctore & majorem existere credens.

Noli arguere derisorem, ne oderit te. Derisor est Judaeus, sive haereticus, seu omnis hypocryta: qui ob hoc quod justum se esse aestimat, verba correctionis nequiquam recipit. Non est timendum ne tibi derisor, cum arguitur, contumelias inferat: sed hoc potius providendum, ne tractus ad odium pejor fiat. Ideoque tibi aliquoties ab ejus correptione, non tuae timiditatis, sed dilectionis ejus gratia cessandum.

Argue sapientem, & diligit te. Da sapienti occasionem, & addetur ei sapientia. Doce justum, & festinabit accipere. Principium sapientiae, timor Domini: & scientia sanctorum prudentia. Per me enim multiplicabuntur dies tui, & addentur tibi anni vitae. Si sapiens fueris, tibi metipseris: si autem illusor, solus portabis malum. Sapientem in profectu positum, id est, amatorem sapientiae dicit, quem supra pro humilitate parvulum nuncupavit: nam perfectus sapiens, non habet opus argui.

Mulier stulta & clamosa plenaque illecebris, & nihil omnino sciens, sedet in foribus domus suae super sellam: Mulier haec haereticus est contraria nimirum sapientiae, quae sua superius sacramenta cecinit: stulta scilicet per fatuum intellectum: & clamosa per garulitatem: plenaque illecebris victorum: & nihil omnino sciens, sicut ait Apostolus, Qui se existimat scire aliquid, cum nihil scit, ipse seducit se. Sedet autem & ipsa in foribus domus suae, id est, in doctoribus fallitatis, qui in penetrabilia perfidiae miseris fallendo introducunt. Super sellam autem, quia cathedram sibi praedicationis usurpat. Haec est cathedra pestilentiae, in qua beatus vir sedere detrectat.

In excelsis verbis loquitur. Dicit de sapientia, quia in summis excelsisque verticibus dat vocem suam, sed illa in sublimitate virtutum, haec in supercilio elationis attollitur.

Ut vocaret transientes per viam, & pergentes in itinere suo: Vocat haereticus ad perfidiam saepe Catholicos, quos iter rectum agere, & viam saeculi hujus transire citius velle, atque ad aeternam patriam festinare conspiciunt.

Qui est parvulus, declinet ad me: & recordi locuta est: Sapientia parvulos atque insipientes ad suum convivium penè eidem verbis videtur invitare. Sed distat, quod illa simpliciter ad se venire, haec autem quos vocat ad se declinare suadet: quia illa nimirum ad rectum actionis iter quos errantes cernit, accessit: haec recte gradientes, ab itinere suo deviare, & ad se divertere docet.

Aqua furtiva dulciores sunt, & panis absconditus suavior. Aque furtivae, & panis absconditus, doctrina haereticorum, quae stultis ac perditis suavior videtur. Sapientia palam mensam proposuit & miscuit vinum suum. At stulta mulier, nil meracum habens, ad aquas furtivas, & absconditum panem quoscumque valet, aggregat: quia Catholica Ecclesia palam mundo divinatorum eloquiorum convivia pandit, divinitatis & humanitatis Christi mysteria celebranda praecipit. Vel certe in vino mixto, historicam simul & allegoricam auditoribus suis scientiam propinat, ut pro suo quemque captu vitae poculis reficiat. At haereticorum doctrina, publicae fidei & professioni, sua secretum decreta praeponeat, & cum nil spirituale habeat, suaviorem se Catholicis pastoribus scientiam jactat docere, ut scilicet libentius audiantur, & agantur quae palam in Ecclesia dici credique prohibentur, & dulcius hauriatur insipientia quae putatur scientia, cujus prohibita fuerat audientia. Potest in aquis furtivis, baptisma haereticorum: in pane abscondito, eorumdem sacrificium designari. At juxta literam mulier adultera in aquis furtivis, & pane abscondito, prohibita & illicita connubia dulciora asseverat.

Et ignoravit quod gigantes ibi sint, & in profundis inferni conviveat ejus. Qui enim applicabitur illi, descendit ad inferos: nam qui abscesserit ab ea, salvabitur. Nescit adultera, nescit haereticus, quia immundi spiritus suas domos habitant, & qui in profundis inferni penas luunt aeternas, ipsi actibus luxuriosorum, ipsi haereticorum dogmatibus, quasi conviviis delectantur opimis. At cum rite in Ecclesia, Christi sacramenta celebrantur, Christi verbum auditur & conservatur, qui est sapientia Dei: constat quod angelicae virtutes ibi sint, & in excelsis caelorum, conviveat fidelium. Panem enim caeli dedit eis, panem angelorum manducavit homo.

Commentariorum Libri primi finis.

COMMENTARIORUM BEDAE
Presbyteri in Parabolas Salomonis
Liber secundus.

Caput X.

PARABOLAE Salomonis filii David Regis Jerusalem. Novum ponit titulum, quia novum genus locutionis incipit, ut non sicut prius de singulis bonorum malorumque partibus diutius disputet, sed alternis versibus, actus utrorumque describat.

Filius sapiens, laetificat patrem: Filius vero stultus, tristitia est matri suae. Qui accepta fidei mysteria bene servat, laetificat Deum Patrem: qui vero haec actione mala, vel haereticis commaculat, matrem contristat Ecclesiam.

Non proderunt thesauri impietatis: justitia vero liberabit a morte. Et a transitoria morte sapiens: ut Daniellem & tres pueros: a perpetua semper justitia liberat. At vero thesauri per impietatem congregati, etsi aliquando a morte corporali videntur eripere, plus tamen mali pro impietate qua acquisiti sunt, quam commodi in eo quod pro vita sunt dati, conferunt.

Non affliget Dominus fame animam justam, & insidias impiorum subvertet. Et si quando justum impii fame affligunt, vel etiam necant, non laedit animam ejus, quam Dominus in vita futura suae gloria visionis consolatur: qui & eisdem impiorum insidias, in ipsos, justè judicando, retorquet.

Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium divitias parat. Qui autem niritur mendacis, hic patitur ventos: idem sequitur aves volantes. Qui negligenter vivit in hoc saeculo, egebit bonis in futuro. At qui fortiter Domino militat, divitiis aeternae beatitudinis remunerabitur.

Qui congregat in messe, filius sapiens est: qui autem stertit aestate, filius confusiois. Qui congregat Christo animas fidelium, filius sapiens est: & quidem messis haec multa est, operarii autem pauci. Qui vero hoc tempore acceptabili a sua salute curanda torpescit, confundetur in die retributionis.

Benedictio Domini super caput justis: os autem impiorum operit iniquitas. Justis dicitur in judicio: Venite benedicti,